

MICH. ETTMÜLLERI

Phil. & Med. D.

DISSERTATIONES
ACADEMICÆ.

DISSERTATIO I.

DE

MEDICINA HIPPOCRATIS
CHYMICA.

Q. D. B. V.

Hermeticorum Chorus pleno guttore decantat suam *Tabulam Smaragdinam*, in qua omnis sapientia veraque Philosophia mirâ brevitate deprehendatur, ita ut instar Lydiî lapidis omnium Philosophantium & sit & esse debeat. Idque eò magis, quod totum Mysterium Sophorum, & gloriosissimum Lapidis Benedicti artificium in eadem depictum pariter ac descriptum reperitur. Linquamus iisdem hac vice Smaragdinam *Tabulam*, suspendendo hujus loco Cedrinam, in quâ *Divina HIPPOCRATIS Oracula*, cedro sane immortalis qui inscribantur dignissima, exarata conspiciantur, qualia sunt, quæ *Lib. de Priscâ s. Veteri medicinâ (secundum Editionem Op. Hipp. Joh. Ant. v. d. Linden, quam etiam in sequentibus allegat, retinebim9)* nobis reliquit, dicendo: *Nihil igitur utilius, neque magis necessarium, quam hac cognovisse: quod & probe & convenienti ratiocinatione investigantes, juxta hominis Naturam hac primi inventores invenerunt. Jndicaveruntq; artem dignam, qua DEO adscriberetur,*

quemadmodum etiam est receptum. Non enim siccum neq; humidum, neq; calidum, neq; frigidum, neq; aliud quicquam ex his putaverunt hominem ledere, neq; aliquo horum homini opus esse opinati sunt, sed quod in unoquoque forte & humanâ Naturâ potentius est, quodq; non possit superare, hoc ipsum ledere duxerunt, & hoc auferre quasiverunt. Fortissimum autem est inter dulcia dulcissimum, inter amara amarissimum, inter acida acidissimum, & in omnibus adeo rebus vigor ipse ac summum. Hæc enim & in homine esse viderunt, & hominum ledere. Inest enim in homine & amarum, & salsum & dulce & acidum, & acerbum & fluidum & alia infinita, omnigenas facultates habentia copiamq; & robur. Atque hæc quidem mixta ac inter se temperata, neq; conspicua sunt, neque hominem ledunt. Ubi v. quod horum secretum fuerit, atque ipsum in seipso fuerit, tunc & conspicuum est, & hominem ledit. De hac Hippocratica sententia, cum Exercitii gratia quædam exarare sit animus, faxit summus Archiater, ut fiat feliciter.

CAPUT I.

Qualitatum Elementalium Hippocratica Correctio.

§. 1.

Ut cautos reddat suos filios Hippocrates in prudenti instituendâ prognosi, si quid in morbis divini insit, acutè perpendendum, accurateque pernosendum hortatur. Quod divinum quid sit, ut intelligatur, Divino opus habet Oraculo, cum tot de eo sint sententiæ, quod interpretes id explicare aggressi sunt, & ipse Hippocr. vix alio in loco apertam prætereâ mentionem ejus faciat. Sunt qui occultarum qualitatum seu totius substantiæ, ut vocant, morbos hic intelligunt: alii omne virus abditum & insolens occultumque in morbis huc vocant: alii Ideam morbificam & ab eadem productos morbos ideales s. archeales substituunt. In genere Divini Nomenclatura ab Hippocrate quibusdam indita videtur morbis, vel quod singulari Superum potentia inducti videantur,

vel quod eorum Natura obscura non nisi à Superis sit dignoscenda & curanda. Ob id ergò, quod sint divini & obscuri, adeoque sublimioris conditionis, & non superficialiam requirant considerationem, raram eorum facit mentionem, quin potius reliquos ex manifestioribus deducendos rationibus hinc inde, præprimis in aureo de *Veteri Medicinâ* libello, accuratè & perspicuè pertractat.

§. 2. De his nota sunt dogmata, longâ annorum serie in schola Galenica matua interpretum suscriptione confirmata, quod nempe corpus humanum ex quatuor elementorum mixtione compositum, ex primis horum qualitibus certam obtineat temperièm, quatuor humoribus nutritiis elementis analogis sustentatam: quibus vitiatis, non tantum varii excrementitii orientur humores,

A

NON